

H576

DE  
JESV CHRISTI  
SAPIENTIA  
IN ELIGENDIS  
ET  
PRAEPARANDIS APOSTOLIS  
CONSPICVA  
DISQVISITIO  
QUAM  
EXERCITATIONI ORATORIAE

D. XX. OCTOBR. A M D C C X E L I X

H. X. ANTE MERID.

IN

GYMNASIO REFORMATORVM

REGIO

INSTITVENDAE

PRAEMISIT

GEORGIVS JACOBVS PAVLI

REG. REF. GYM. RECTOR.



HALAE MAGDEBURGICAE,  
LITTERIS EMANVELIS SCHNEIDERI.

H576





## S. I.



Reginae Arabiae studium, Salomonis sapientiam vel ex ministeriorum delectu, eorumque institutis ac muneribus cognoscendi, cum ab ipso probetur Seruatore nostro a): operam certe non perdemus, istius sapientiam, qui Salomone & maior erat & longe sapientior, vel ex Apostolorum electione atque institutione demonstratur. Fuerunt iam inde ab Apostolorum aeuo, qui de Jesu Christo disquisitiones in medium proferebant superacuas, ex quibus nulla fides sumeret incrementa. b) Non est huius generis questio iam iam a nobis pertractanda. Christi nimurum peruestigantes sapientiam, Patrem, qui eum misit, ipsum celebramus, eumque esse veracem, obsignamus. c) Hoc insuper ad nos ex hacce inquisitione redundabit commodum, vt veritati religionis Christianorum constabilienda hoc ipso inseruiatur, cum, quanta prudentia primorum doctrinæ nostræ testimoniū delectus sit habitus, indagamus. Hinc & viri isti cordati, de re Christiana optime meriti, qui religionis nostræ ediderunt Apolo-gias, de conditione & virtutibus Apostolorum agere non neglexerunt: ea tamen præcipue mente, vt eorum testimonium fide esse quam dignissimum, commonstrarent. d) Nos vero, ne centies dicta repetamus ac

post

a) 1 Reg. X. 4. 5. 6. 8. Luc. XI. 31.

b) 1 Tim. I. 4.

c) Ioh. III. 33. 34.

d) Vid. Abbadie Von der Wahrheit der Christl. Relig. T. II. p. 17. &amp; alibi. Ditton Von der Wahrheit der Christl. Rel. aus Christi Auferstehung. P. III. Cap. IV. Sec. 2.

26576

post Homerum Iliada scribere videamur, sapientiam modo Christi in eligendis & praeparandis Apostolis conspicuam, in gloriam Redemptoris nostri, cuius in cognitione thesauri sapientiae iacent reconditi, praedicabimus.

### §. II.

Tribus nostras hac de re meditationes absoluemus capitibus. Ostendemus 1. propositum Christi quale fuerit in creandis Apostolis 2. ipsam electionem huic proposito fuisse consentaneam ideoque sapienter institutam. 3. Tandem, qua Christus ratione Apostolos electos ad id munera obeundum sensim praeparauerit. Sequemur solum, ut par est, sacram codicem ducem, ex hoc quae Apostolorum fuerit conditio edocti, non potuisse prudentius in hac agi electione atque institutione, indicabimus.

### §. III.

Christi in Apostolis eligendis scopus fuit princeps, ut haberet, qui res ipsius gestas, doctrinam, vitaerationem ac miracula, quae omnia oculis ipsi surpassant, attestarentur. Hinc a Joanne baptizatus, & a Patre O. M. Messias declaratus statim discipulorum duodecim, Apostolos vocatos, a reliquorum numero segregauit, e) quos omnium itinerum voluit esse comites. Qum scilicet Dei filio, dum in his terris moraretur, plures res divina virtute ab eo gestas, occultare placeret: testes essent, qui suo tempore haec omnia palam facerent, neceesse omnino erat. Eam ob causam statim inito doctoris munere Apostoli sunt denominati: ab initio vna cum eo erant, vt testimonium de ipso reddere possent. f) Testes ante a Deo designatos ea propter Petrus se sociosque apud Cornelium appellat. g)

### §. IV.

Huic fini alter erat annexus: vt, quod Christus erat exorsus, per texerent, Evangelium pure annunciando, eiusque veritatem diuinam miraculis confirmando & vbique terrarum cœtus Christo sacros excitando. h) Regnum cœlorum appropinquasse, Christus dum in vivis esset, praedicabant. i) Ipso autem in cœlum eucto, Deum, suum ex morte exci-

\* 2

e) Luc. VI. 13. Matth. III. 13. sq. IV. 18. sq. Act. I. 22.

f) Ioh. XV. 27.

g) Act. X. 41.

h) Ioh. IV. 38. Marc. XVI. 15 - 18.

i) Matth. X. 7.

excitasse filium, ac in eum ut nemo non crederet, per ipsos iubere, omnibus celebrabant sermonibus. k)

### §. V.

Sic rationibus rite subductis, quale Apostolorum ac caeterorum Christi discipulorum fuerit discrimen, absque negocio intelligemus. Primo enim Apostoli erant primae admissionis amici, individui Seruatoris comites, qui eum nunquam non sequuti, omnia ab eo perpetrata miracula viderant, cunctos eius sermones auscultarant, & quicquid ei eveniebat, praefentes percepant. Reliqua vero discipulorum cohors rarius Christum conuenire solebant. Tum quoque in Evangelio praedicando maior Apostolorum erat virtus atque reliquorum: & hoc ipso, quod nunciant, quae cuncta sensibus hauferant, l) & quod Spiritus sancti donis abundantius erant donati. Plures callebant linguis, vim miracula patrandi in alios conferre, & hinc soli nouas condere ecclesias poterant. m)

### §. VI.

Haec duo in Apostolo requirebantur. Prius quidem paucis aliis quoque competebat, sed solum saltet, Apostolum non constituebat, id quod ex Matthiae patet electione. n) Hinc Paulum quoque Apostolis esse accensendum appetit. Nam eadem virtute Evangelii egit praedicatorem, nouos Christianorum ecclesis constituit quam plurimos, et Spiritus S. dona manuum impositione impertivit. o) Licet autem rerum a Christo gestarum Spectator non fuisset, testis nihil feci us erat fide dignus, quod non ex humana institutione, sed diuina revelatione Christum cognouerat, quid? quod viderat. p) Hinc Apostolum sese nominat, nec ab hominibus electum, nec per homines institutum, sed per Jesum Christum & Patrem. q) Quoniam tamen prior Apostoli characteri ipsi, post Christi demum exaltationem electo, deesse videretur: a malevolis quibusdam obrectabatur, clamantibus, Paulum falso honorem Apostoli ambire, et coetus Christianos ab eo conditos illis, quorum conditores reliqui exsisterint Apostoli, esse dignitate inferiores. Hisce clamoribus ne ecclesia Christi perturbaretur,

k) Act. XVII. 31.

l) 2 Petri I. 16. 18. 19. 1 Ioh. I. 1-3.

m) 1 Cor. XIV. 18. Act. IIIX. 14-17.

n) Act. I. 21-26.

o) Rom. XV. 18-20. 1 Cor. XV. 10. 2 Cor. XII. 12. 13. 2 Tim. I. 6.

p) Act. IX. 3. sq. XXVI. 15. 16.

q) Gal. I. 1.

H576  
retrur, Paulus suam dignitatem, Apostolicae parem, passim laudibus extenuit: id quod, his recte consideratis, eum φίλας reum minime facit, cum hoc in negocio non suam, sed totius Christianorum reipublicae rem egerit. r)

### §. VII.

Nec itaque vel in ipso Juda (id quod hic monemus, quia nulla post haec proditoris fiet mentio) eligendo, Christus sine suo excidit. Emissus enim et hic fuit, qui coeli regnum aduenisse declararet. s) Testimonium insuper tulit egregium de inculpatis magistri sui moribus, eiusdemque innocentia: quod testimonium ab Apostolo, intimo quondam amico, impi post proditore et ob id ipsum desperabundo prolatum, est omnino grauissimum. Resurrectionis quidem testis qui fieret, dignus non erat perditus ille filius, t) sed hoc testimonium prioris tantum erat continuatio, et hæc prouincia isti ubique obtingere minus poterat, qui ante id temporis vitam infeliciter finierat.

### VIII.

Huic Christi proposito, quo de hacenus egimus, ipsa Apostolorum electio respondit, h. e. istiusmodi viros Christus delegit Apostolos, qui omnium minime suspecti erant testes, quique ipsius gauisi institutione ad constituentiam Dei in terris regnum fieri poterant idonei. Haec ut melius intelligantur, ac Christi exinde sapientia (quae in eo elucet, quum mediis ad scopum ducentibus utimur optimis) cognoscatur: ex Evangelii Scriptoribus, qui tandem a Christo fuerint delecti, quae Apostolorum, quum ad Seruatorem accederent, fuerit conditio, quis vitae cultus, qui mores, adnotemus, haec cuncta Scopo Christi suisse congrua monstrantes.

### §. IX.

I. Apostolorum patriam si sciscitaris: *Judei*, et quidem, quantum constat, *Galilaei* fuere ad unum omnes. u) Judei essent primi Messiae testes necesse erat. Hi enim Soli tunc temporis vera viuis Dei vtebantur cognitione; soli quoque promissum mundi Saluatorem praestolabantur: soli denique verum Messiam ex vaticiniorum collatione dignoscere poterant

\* 3

r) 2 Cor. XI. XII. Gal. I. II. al.

s) Matth. IX. 4. 5. 7.

t) Ioh. XVII. 11.

u) Act. II. 7. Marci XIV. 70.

rant. Quum insuper *satus mundi* ex Judaeis proficeretur, ac huic populo tunc sacro, primo Euangelium esset annuntiandum, primi quoque Euangeli praecones Judaeorum esse debebant populares, si fides illis esset adhibenda. x) *Galilaeos* vero cur Christus assumserit Apostolos, prorsus liquidum quidem non est: has tamen huius delectus causas adducemus vero non absimiles. 1. Galilaea prima Euangeli luce fuit illustrata, secundum dicta Prophetae. y) Quum vero ab initio vna cum Iesu esse deberent designati ipsius testes, §. 3. non poterant non Galilaei esse. 2. Galilaeam incolentes Judaei erant reliquis, in ipsa Judaea et confiniis Hierolymorum commorantibus, simpliciores ac non adeo strenui traditionum Pharisaicarum defensores: qua de re infra pluribus.

### §. X.

z) II. Apud nullum Apostolorum, antequum designaretur, beneficium quoddam a Christo est collocatum: sed Apostoli potius, omnibus suis posthabitis Christum sequentes a magistro gratiam inire videbantur. Tantum absuit, vt Christus istiusmodi, quibus diuina virtute erat medicatus, se sequi iussit, vt horum potius nonnullos, eum vt ipsis haec daretur venia, rogantes, indignabundus reiecerit. z) Hosce apud suos quidem vt eius beneficia celebrarent, monuit, noluit autem tales testimonium de eo gentes inter integras dicere. Apostolorum, quorum electionis accurata iniicitur mentio, nemo quodam accepto beneficio se Christo adiunxit comitem, sed vel sua sponte eum adierunt, vel vocati in discipulorum numerum sunt aggregati. Andreas, Joannis Baptiste olim affecta, Christum sermone eius auditio sectabatur. a) Andreas Petro fratri Iesum vt amplecteretur Mesiam, persuasit. b) Philippum Christus, se sequatur, iussit. c) Philippus Nathanaeli, quem Bartholomaeum esse non est quod dubitemus, Christo vt nomen daret, fuit auctor. d) Jacobum porro et Joannem Zebedaei filios retia resarcientes Christus vocavit. e) Matthaeus tandem quaestuoso publicani munere fungens, nullo affectus proemio Christum

x) Ioh. IV. 22. Act. XIII. 46. al.

y) Marth. IV. 12. coll. Eccl. IX. 1. sq.

z) Marci I. 43. 44. V. 18. 19. coll. Luc. IX. 38. 39.

a) Ioh. I. 37. 40.

b) c. 41. 42.

c) I. c. 43.

d) 45-49.

e) Matth. IV. 21. 22.



stum subsequi est iussus, iussoque morem gessit. f) Petri quidem exemplum dubium mouere videtur, quem Lucas tunc hominum pescatorēm, h. e. Euangelii doctorem declaratum esse memorat, cum diuinam Christi virtutem in mira piscium captione perspexisset. g) At non primam hanc fuisse vocationem, et Petrum iam ante haec Christum esse sequutum, loca infra excitata satis superque docent. h) Immo Petrus commodis ex hoc miraculo ad ipsum redundantibus frui minus potuit, omnibus derelictis Christum statim sequi iussus, i)

## XI.

Quid est vero, quod ita egerit Seruator? Quid est, quod homines sui beneficii memores, eumque pro eo ac debebant, maximo complectentes amore, socios et factorum testes esse noluerit? Norat scilicet hominum indolem, ac fidem illis, in re præsertim grauissima, facile denegari, qui istum, a quo insigni sunt maestati beneficio, laudibus celebrant, perperxit. Sunt certe plerumque istiusmodi aut fraudis nomine suspecti, et amicitia, honorificum ut virtutis nunquam expertae tribuant testimonium permoti videntur. Aut haec quoque si ab ipsis esset remota suspicio, semper tamen fuissent, qui subdubitassent: num forsitan tales homines nimio in Christum de ipsis optime meritum abrepti amore, omnia eius facta absque omni scrutatione habuerint miracula. Sexcenta alia religionis nostræ aduersarii, qui et in causa maxime explorata, in qua nulla est dubitatio, dubitant, obgannirent, si eos Christus denominasset Apostolos, quorum benevolentiam eximio antea beneficio sibi conciliasset. Quum vero eos citarit vitae rerumque suarum testes, quorum gratiam nullo erat aucupatus benefacto, candorem eximum et animum rebus suis minime diffidentem ostendit. Nobis ad haec consuluit, fidei impedimenta tollendo et istiusmodi testimonia menti proponendo, quibus veritatis amans fidem non potest non tribuere. Apostoli vero, quum dicto audientes Christo sine mora essent, nullo pellesti proemio aut beneficio, se non nisi de diuina seruatoris nostri missione conuictos, Deique Spiritu ductos, Christum omnibus relictis esse sequitos, liquido declarant.

Heic Programmatis limites meditationibus quoque nostris fines constitutre nos cogunt. Alio, si Deo placebit, tempore incopta persequemur.

Super-

f) Matth. IX. 9.

g) Luc. V. 1. sq.

h) Luc. IV. 38. coll. Marci I. 29. 36. 37. v, Haubers Harmonische Annalen, p. 43. seq.

i) Luc. V. II.



329

Superest, ut literarum humaniorum Fautores, Musarumque nostrorum  
amicos, amplissimos in primis atque Honoratissimos Gymnasi Antistites, ad  
audiendas iuuenium quorundam scholae nostrarae Orationes, quo par est ob-  
seruantiae cultu vocemus, inuitemus.

## ORATIONVM THEMATA HAEC ERVNT.

- 1.) LEOPOLDVS GUILIELMVS GOELER Dessauiensis de *Homine, sola ratione reliquis animantibus superiore, cetera inferiore, loquutus, auditorum studia expetet dicturis commilitonibus.*
- 2.) FRIDRICVS ERN. WILMSEN. Hallens. Dei, largam nobis messem concedentis, laudem carmine celebrabit Germanico.
- 3.) JOH. FRIDR. VEIST. Norimberg. *Deum hyemali quoque tempore hominibus consulere, docebit.*
- 4.) FRIDR. AVG. CHRISTINNECKE Hallens. Dei in animantia curam, brumali quoque tempore conspicuam prædicabit, et quidem 1.) ratione vicit.
- 5.) GVIL. HERM. BEAUVAIS Halens. eandem summi numinis curam 2) ratione amitus animantium extolleat oratione paterna.
- 6.) ISAACVS DANIEL de MARES, Norimberg. Scholae vale dicturus de *Theologiae studio sapientiam cum pietate coniungente, dicet latine.*



W 18

H576

DE  
JESV CHRISTI  
SAPIENTIA  
IN ELIGENDIS  
ET  
PRAEPARANDIS APOSTOLIS  
CVA  
SITIO  
ORATORIAE

M D C C X L I X

MERID.

FORMATORVM

O

NDAE

SIT

OBVS PAVLI

N. REICHTOR.

BVRGICAE,  
IS SCHNEIDERI.

